


ANTHONIS
STATUS
OLOGIAE

AB

67 $\frac{10}{C, 14}$





1 phil: Melanthonis:
 oratio vii. Epist: pauli
 ad Romanos:
 Hagone, 1529.

2. ———— in proverbis
 Salamonis:
 Hagone, 1529

3 — an liceat Christianis
 litigare in iudicio
 Hagone 1529

4 — ubi deo est yobuff.
 Wittenberg 1525

Handwritten scribbles and initials at the bottom of the page.



li
lia
H.





1721

F. J. G.

[Faint handwritten mark]



The title page is framed by an intricate woodcut border. At the top center is a circular medallion containing an eagle with wings spread, perched on a globe. Below this are two large, ornate columns flanking the central text. Each column features a large circular medallion with a seated figure, possibly a saint or philosopher, and is topped with a decorative finial. The base of the columns is decorated with floral motifs. At the bottom center, another circular medallion depicts a seated figure, flanked by two rectangular panels with decorative designs.

DISPO

sitio orationis, in
Epistola Pauli
ad Roma-
nos.

Authore Philippo Me-
lancthone.

Haganoæ, per Iohan. Sec.
Anno M. D. XXIX.





HB: 67
10
1/5
9/14



CLARISSIMI

MO VIRO, D. HERMANNO, CO

miti Nouæ Aquilæ, Domino suo

Philippus Melanch-

thon S.



VIDAM in lectione hoc agunt unum, ut insignes sententiâs excerpant, non in hoc student, ut totam causam quamcunq; legunt, animo complectantur. Verum, ut in statua dissecta, neq; de totius operis pulchritudine, neq; de partium Symmetria iudicari potest, ita nullius auctoris sententiam recte perspiciet, si quis non cognouerit totum auctorem. Et sæpe fit, ut fragmenta a reliquo auulsa corpore, deprauentur, nec accipiantur iuxta auctorum uoluntatem. Prodest igitur in unaquaq; re disputationes integras animo complecti atq; tenere. Cum autem epistola ad Romanos præcipuum doctrinæ Christianæ locum tractet, ac ueluti methodum uniuersæ scripturæ contineat, non satis est unum atq; alterum ex illa uersiculum decerpere. Tota legenda est, & consideranda.

A ij

EPISTOLA NVN

dum, quomodo omnes inter se partes, omnia membra cohæreant, atq; consentiant, & uenâda certa, perpetua, & simplex sententia Apostoli, ut bonæ mentes de maximis rebus certo doceantur. Ad eam rem conducet ordinem orationis nosse, & argumentorum locos, quasi notas, ut agnosci possint. Ego igitur in hac epistola totius seriem disputationis breuiter ostendi. Quos ad causam aditus faciat Paulus, ubi proponat, quomodo confirmet propositionem, locos etiam argumentorum propemodum digito indicaui, admonui ubi in causa commoretur, ubi paulisper & causa discedat. Hæc nisi uiderit Lector, nō poterit adsequi certam authoris sententiam. Ac desiderari iure diligentia, non tantum in recentioribus, sed etiam in ueteribus potest, qui cū in enarratione huius epistolæ non attenderint orationis dispositionē, alicubi tanquam uia lapsi, & uolūtate authoris aberrarunt. Sed me fortasse nonnulli ridebunt, quod orationem Pauli, ad uulgaria dicendi præcepta exigam. Verum res loquitur ipsa, nō sine certa ratione disputasse Apostolum. Nam, ut fuerit illiteratus, tamen omnes sani atq; ingeniosi homines in dicendo rationem aliquam adhibent, ut auditorē ordine dere, doceant, & ne quid temere admisceant,

CVPATORIA.

miscant alienum a causa. Concedāt saltem
communem sensum Paulo, si qui triuālem
doctrinam adimunt. Nam ego de Elocutio
ne non loquor, de inuentione ac dispositio
ne loquor, quæ mediocris cuiusdā sunt pru
dentia. Tamen si quædam notæ liberalis do
ctrinæ in Pauli oratione comparent, uerbis
enim usus est & figuris multis, Græcā doctri
nam redolentibus. Nec sine arte ratiocina
tur. Tantum deest illi compositio, quam sic
uocant Rhetores, hoc est, ratio texendarum
periodorū, quibus, quia nō est astricta ora
tio, sæpe longius fluit, alicubi cōcisa &
imperfecta membra relinquuntur.

Et eæ sunt aliquādo causæ ob

scuritatis in eius sermōe.

Sed faciā finem. Ti

bi autē generose

Comes,

hāc fœturam

dedicauī, ut a me pi

gnus aliquod meæ in te

obseruātię haberes.

Vale. Spiræ.

A iij

DISPOSITIO ORATIONIS

ARGVMENTVM

TVM EPISTOLAE

PAVLI, AD ROMANOS.

manos.



De cultu Dei, seu de iustitia, quæ coram Deo iustificat, semper dissensio fuit pijs cum mundo.

Nam humana ratio iudicat Deum placari bonis in speciem operibus. Et quoniam non uidet immundiciam cordis humani, existimat Deum contentum esse illa hypocrisi bonorum operum. Sed Spiritus sanctus reteggit cordis humani immundiciem, ostendit esse uacuum metu Dei ac fiducia erga Deum, ostendit turpitudinem

IN EPIST. AD ROMANOS.

pitudinem concupiscentiæ flagran-
tis in membris nostris. Cum itaq;
iudicat nos Deus, & peccati mag-
nitudinem nobis ostendit, cerni-
mus nos nō esse iustos coram Deo,
tametsi bona in speciem opera fece-
rimus. Proinde longe aliam iusti-
tiā ostendit nobis scriptura, iubet
territas conscientias credere, quod
propter Christum a patre in gratiā
recipiamur sine nostris meritis. Ea
fides est iustitia, quæ coram Deo
iustificat, quæ pacem territis menti-
bus adfert. Opera non reddūt tran-
quillam conscientiam. Illa fides in
omnibus afflictionibus sustentat
pios, qua confidunt sibi Deum es-
se placatum, adesse Deum protecto-
rem, ac defensorem. Et consequi-
mur hanc fidem hoc modo, cū ter-

A iiij



DISPOSITIO ORATIONIS

riti audimus Euangelium, & credētes, consolationē concipimus. Qui sic eriguntur, agnoscunt misericordiam, & bonitatem, & præsentiā Dei. Estq; ea fides, uera Dei notitia. Constat etiā his duabus rebus poenitentia, terrore & fide pacificāte conscientiam. Cum hæc doctrina sit arcana, bona pars hominum nō intellectam condemnat, & auersatur, non modo ut a ratione abhorrentem, sed etiam ut impiam. Sed nos scripturę autoritatē sequamur, quæ terribas conscientias sic consolatur. Iubet per terrefactos credere, q̄ gratis nobis ignoscat Deus propter Christum. Et hanc fidem docet pro iustitia imputari, eamq; uerum Dei cultum esse. Hæc sola est firma consolatio, quæ erigere terribas mentes,

IN EPIST. AD ROMANOS.

tas mentes, & aduersus portas inferorum consolari nos potest. Bona opera non possunt placare irā Dei. Quemadmodum fatetur & David cum ait, Non intres in iudicium cū seruo tuo, quia non iustificabitur coram te omnis uiuens.

Est igitur hic status Epistolę Pauli, quod iustificemur, non ex operibus, sed fide, credentes nobis ignosci propter Christum. Et ut in omni disputatione, oportet semper ob oculos habere positum controuersię statum, & ad eum omnia referre. Ita in hac Epistola semper respiciamus ad hunc statum, in hunc defigamus oculos, huc argumēta omnia referamus. Optimum interpretandi genus est, οἰκονομίαν sermonis diligenter considerare. Quare toti

A v

DISPOSITIO ORATIONIS

us orationis seriem explicabimus, & subiiciemus oculis lectorum, ut quasi imaginē, seu εἰδῶν totius Epistolæ complecti in animo, & simplicem ac germanā sententiam Pauli adsequi possint, ut cōscientiæ certa & firma præsidia & solatia habeant. Locos ostendemus singularū orationis partiū, quos qui animaduertent, de totius oratiōis sententiā & compositione, facile iudicabit.

LOCI EXORDII.

EXordium continet locos, quibus beneuolentia de more captatur. In priore adfectus est, coniunctus cum preconio Romanorū: Ago gratias Deo, quod creditis. Posteriore loco, officium suum deferit illis; Cupiebā ad uos proficisci,
ut uos

IN EPIST. AD ROMANOS.

ut uos docerē, sed sum impeditus :
Et subiectū est elegās epiphonema
ex generali sentētia, de officio Apo-
stoli ductum, Græcis & Barbaris,
sapiētib; & insipientibus debi-
tor sum. Nam boni Episcopi pro
uiribus iuxta omnes discere cupien-
tes, adiuuare debent, & attempe-
rare se captui discēntium. Aliter tra-
ctandi sunt imbecilles, aliter isti q̄s
adparet esse firmiores. Est & addi-
tus locus attentionis ab Euangeli-
j dignitate: Non pudet me Euange-
lij, tametsi mundus oderit, aut ad-
spernetur. Quam sententiam con-
firmatio, seu ἀπολογία sequitur, quia
Euangelium est potētia Dei, id est,
per Euangelium Deus est efficax,
mouet corda ad credendum, & eā
fidem imputat pro iustitia. Et addi

DISPOSITIO ORATIONIS

ta est eius rationis comprobatio ex definitione Euangelij, nam Euangelium docet iustitiam, quæ coram Deo iustificat. Dialectici caput artis esse docent, recte definire, ac definitionem diligenter inculcare discipulo. Hic igitur meminerit lector quid Euangelium sit, quid in summa contineat, quis proprius, ac precipuus Euangelij locus sit. Ita facile intelligi poterit, quomodo a lege, quomodo a Philosophia differat. Nam Euangelium patefacit iustitiã fidei, quod coram Deo iusti habeantur, qui credunt se propter Christum in gratiam recipi. Lex aliam quamdam iustitiam docet, Philosophia ciuilitatem morum tradit, procul igitur ab Euangelio distant. Quamquam autem infra ponatur propositio

sitio

IN EPIST. AD ROMANOS.

sitio, & totius disputationis status aliquanto pluribus uerbis demonstratur, tamen & hic exordio summam disputationis, uelut proponens, breuibus uerbis inseruit, q̄d Euangelium patefaciat iustitiam, nempe, quod credere in Christū, iustificet & pacificet corda.

PROPOSITIO.

Fides est iustitia. Additū est Prophetæ testimonium: Iustus ex fide uiuet.

PROPOSITIONIS EX-
politio, & repetitio.

Quia pluribus uerbis principalem propositionem, quam modo leuiter attigit, explicabit, ideo præponitur quædam propositio, per quam gradum ad principi-

DISPOSITIO ORATIONIS

palem facit. Est autem uelut ex contrario sumpta: Homines natura nō sunt iusti, nec possunt operibus suis iustificari. Huic deinde opponit principalem propositionem: Fide iustificātur homines. Priorem his uerbis proponit: Euangelium arguit omnes homines qđ sint impij, seu contemptores Dei, & peccatores. Nam Euangeliū prædicat poenitentiam, quare statim initio arguit peccata. Huic generali propositioni est subiecta rhetorica distributio, que partitur propositionem in membra. Gentes accusantur, accusantur & Iudæi. Hæc membra ordine tractantur: Gentes non glorificauerunt Deum. Amplificat ab effectibus, nam impietatis fructus postea per cōgeriem recensentur, qui
non

IN EPIST. AD ROMANOS:

non glorificant Deum, traduntur
in reprobum sensum, ut ruant in
uaria peccata, fiunt mœchi, homici
dæ, fures.

Obiter hoc loco inseritur occu
patione, quare Paulus discedere ab in
stituta propositione uidetur. Dili
genter autem consideret lector, ubi
Paulus ad propositū redeat, ut per
petuum ordinem disputationis ob
seruet. Et tanquã dissimulans egres
siones, in quas nonnunquam pau
lis per expatiatur Apostolus, memi
nerit principalia disputatiōis mem
bra, & det operam, ut illa recte con
nectat, & coagmentet. Est autem
occupationis sententia. Quomodo
arguis omnes homines, cum multi
apud Gentes honeste uixerint, ut
Socrates, Aristides, Cato, Pom

DISPOSITIO ORATIONIS

ponius Atticus. Iudæi etiam legis opera faciant. Videtur igitur arrogans Euangelij uox, quod omnes sint peccatores, quod sine Euangelio nemo sit iustificatus. Paulus respōdet, eos qui honesta opera fecerunt, tamen fuisse hypocritas. Euāgelium autem arguit, non tantum externa delicta, sed multo magis impura corda. Et sumpta est occasio occupationis ex illa sententiā, reos esse nō tantum qui faciunt, sed qui etiam si non faciant, tamen consentiunt, id est, in corde impuros adfectus habent.

Nostris temporibus quidam similiter disputant aduersus eos, qui fidei iustitiam defendunt. Negant omnes homines natura sub peccato esse, & contendunt quod bonis operibus

IN EPIST. AD ROMANOS

operibus iustificari queant. Hi tantum externam & civilem iustitiam requirunt. At Euangelium docet corda esse impia, sine fide, sine timore Dei, propterea aliam quandam iustitiam, ostendit Euangelium.

Huic obiurgationi, addita est adhortatio, qua etiam hypocritas uocat ad poenitentiam. Et sicut in locis suasorijs utimur comminationibus, ita Paulus adiecit comminationem, Incredulis ira &c. Et a personis amplificatio accedit, Iudæos & Gentes pariter iudicari, quia qui sine lege peccant, sine lege pereunt, qui in lege peccant, per legem iudicabuntur.

Sequitur correctio, cum ante dixisset: Gentes sine lege peccare, corrigit & interpretatur id dictū, Gen

B

DISPOSITIO ORATIONIS

tes habere legē in cordibus scriptā.
Et definit eā legē, cōsciētiae iudiciū
esse, quæ uel excusat uel accusat ope
ra. Hic locus planissime docet, qd
sit lex naturæ, quā sic uocāt in scho
lis. Est em̄ iudiciū illud naturale mē
tis, qd uel probat uel improbat opa.

Redit ad institutam distributio
nem, & alterū membrum absoluit,
quod Iudæi sint impij, tametsi ope
ra legis faciāt. Et amplificat hoc mē
brum per congeriem multorum ui
tiorū, & per antitheses, in quibus
significat illos foris facere legis ope
ra, & tamē corda immūda habere.

Hic uero magna difficilisq; quæ
stio exoritur, quam inserit per *περὸς
τάλητιν*. Si Iudæi legis opera facien
tes, nō sunt iusti, quare lex lata est?
quare uocantur populus Dei? Ni
hil ne

IN EPIST. AD ROMANOS.

hil ne inter Iudæos ac Gentes inter
est. Inseritur igitur paucis uerbis
hæc quæstio, ad quam bifariam re
spondet, & quod mireris, pugna
re inter se uidentur responsiones.
Primū ait, Iudæos multū præstare
Gentibus, deinde Iudæos nihil præ
stare Gentibus. Est autē hæc senten
tia, Iudæi præstant, quod ad pro
missiones attinet, ipsis enim factæ
sunt promissiones: Iudæi nō præ
stant Gentibus, quod ad iustifica
tionē attinet, quia nō sunt iustifica
ti cultu suo, aut operibus legis.

Nōdum tamen satis explicatur hæc
quæstio, tantum indicatur quare
lex lata sit, quare Iudæi sint separati
a Gentibus, oportuit enim existere
aliquem certum populum, in quo
promissiones de Christo reuelaren



DISPOSITIO ORATIONIS

tur, in quo testimonia de Verbo Dei manifesta & certa extarent. Infra cap. v. & vij. latius exponet, quod lex non sit lata ut iustificet.

Vide quam prudenter redeat ad institutam propositionem, nam cū leuiter perstrinxisset illam grauem quæstionem, recurrit ad membra distributionis, & in conclusionem utrunq; membrum coniungit, q̄ omnes homines sint sub peccato, quodq; operibus legis, non iustificetur omnis caro.

Rursus inseritur de usu legis breuis occupatio. Quod si opera legis nō iustificant, cur igitur lata est lex? uidetur absurdum legem ferre, si non iustificant legis opera. Paulus respondet: Nouam & inauditam mundo sententiam pronuncians,

Lex

IN EPIST. AD ROMANOS.

Lex lata est, ut per eam cognoscatur peccatum, ut arguat peccatum, nō ut aboleat. Atq; hic uides clare hoc agere Paulum, ut doceat, iniustos esse, non modo eos, qui mala in specie opera faciunt, sed hos quoq; qui legis opera faciunt, qui hoc ipsum student, ut per bona opera moralia mereantur iustificationem, qui honeste uiuunt. Quidam uolunt hæc ciuilitèr interpretari, & disputant Paulum Synecdoche uti, & tantum eos accusare, quorum mores publice mali sunt, interea non accusari eos, quorū mores sunt probati. Et quoniā maxima est multitudo malorum, Paulum uniuersali propositione usum esse. Sed uides Paulum præcipue accusare illos, quorū mores sunt inculpati. Et perspicue

B in

DISPOSITIO ORATIONIS

dicere, quod illa ipsa legis opera nō
iustificent.

STATUS TOTIVS

Epistolæ.

NVnc demū peruenit ad prin-
cipalem propositionem, que
est huius totius Epistolæ status, ut
Architectus totam ædificij formā
in animo inclusam habet, & uidet
quomodo omnes inter se partes cō-
sentiant. Ita nos in legendis graui-
bus disputationibus omnium pro-
positionum, atq; argumentorum
seriem oportet animo complecti.
In primis autem meminisse statum
oportet, qui summam negotij com-
plectitur, quo omnia argumenta
referuntur. Et quemadmodum illi,
qui iaculantur, ad certum scopum
dirigunt

IN EPIST. AD ROMANOS.

dirigunt telum, ita omnis animi cogitatio ad statum, tanquam ad scopum dirigenda est. Proinde in hac Epistola in primis obseruandus est hic locus. Hęc principalis est totius causę propositio, hęc definitio est Christianę iustitię, quod iustitia sit credere, quod propter Christũ in gratiam patris recipiamur, quod Christus sit redemptor & propiciatorium, quodq; propter eum gratis sine nostris meritis iustificemur. Hęc, inquit, iustitia reuelatur in Euangelio. De hac iustitia testimonia extant in Prophetis.

Et quidem adparuit Christus SINE LEGE, hoc est, non uenit ut legẽ ferret, ut per opera nostra mereremur iustitiam, sed uenit, ut gratis, sine nostris meritis credentes iu

B iij

DISPOSITIO ORATIONIS

stificemur. Quidam somniāt Christum uenisse, ut nouam quandā legem ferret, quam qui facerent, illi mererentur operibus suis iustificationem. At hic uides Christum nō esse legislatorē, sed esse redemptorem, per quē gratis sine nostris operibus iustificamur, si tamen credimus, quod per eum redempti simus. Atq; hic portus, hoc perfrugium est perterrefactæ mentis.

Ad extremum addita est amplificatio ex finali causa. Exclusa est gloriatio, quasi diceret: Si opera legis iustificarent, penes nos esset mereri iustitiam, & confidere operibus, & gloriari de nostra iustitia possemus. Nuncautē, sicut iustitia operum nō iustificat, ita nec confidere operibus licet. Nō ideo magis meretur

IN EPIST. AD ROMANOS.

retur iustificari Ioānes, q̄ Magdale
na, quia Ioannes continenter uixit.
Ad hunc modum detrahit fiduriā
nostris operibus, quæ, si iustifica
rent nos, tanquam finis aliquis ope
rum sequeretur.

Sequitur breuis occupatio, nam
omnibus sanis hominibus, cum au
dierint, non mereri nos iustitiam
operibus, non magis Ioannē, quā
Magdalenam mereri iustitiam, ne
cesse est in mentem uenire, quod li
ceat turpiter uiuere, quod lex ita ab
oleatur, ut licentia concedatur pec
cādi. Paulus per $\pi\rho\kappa\alpha\tau\acute{\alpha}\lambda\eta\psi\iota\nu$ respō
det: Imo non abolemus legem, sed
confirmamus legem, quia corda fi
depurificata, agnoscunt Deum, &
induunt omnis generis bonos adfe
ctus, castitatem, dilectionem erga

B v

DISPOSITIO ORATIONIS

proximos, & cupiunt uolūtatī Dei
morem gerere. Sed hæc quæstio
alias copiosius explicabitur.

CONFIRMATIO.

IN omni disputatione, propositi
onem sequi debet confirmatio,
in qua exponuntur argumēta, quæ
fidem propositioni faciūt. Secutus
est & Paulus hanc consuetudinem
disputantium, sicigitur hoc caput
legi debet, ut a propositione non
diuellatur, sed semper uersetur ob
oculos propositio, ut Dialectica cō
suetudine cōiungatur cum argumē
tis, eaq; claudat. Nam Paulus bre
ui quodam genere orationis usus
est, quare uix unquam reperias in
tegrum syllogismū apud eum, ha
bet crebra & densa Enthymemata;

Est

IN EPIST. AD ROMANOS.

Est autem exorsus cōfirmationem,
a quadam occupatione, ut uiam si
bi sterneret ad Abrahę exemplum.
Iudæi enim sentiebant Abrahā cir-
cuncisione, & alijs bonis operibus,
meritum esse iustitiam. Vt hęc opi-
nionem eximat Iudæis, præposuit
interrogationem huic loco, in qua
neutiquā obscuris uerbis adfirmat,
Abraham non habere laudē coram
Deo, sed corā hominibus, propter
iustitiam carnis, seu honesta opera.
Primū argumentū, ab exemplo
ductū est: Abrahā pater est populi
Dei, in quo forma iustificationis
proposita est, Porro Abrahā fide
iustificatus est, igitur & cæteri fide
iustificātur nō operibus. Et accedit
testimonium ex Genesi: Credidit
Abrahā Deo, & reputatū est ei ad
iustitiam.

DISPOSITIO ORATIONIS

Secundum argumentum sum-
ptum est ex Etymologia, uel defini-
tione uerbi imputare: Si iustitia est
per imputationem, ergo non est ex
aliquo nostro opere. Nam imputa-
tio nō est nostrū opus. Imputatur
autē credenti: Ergo fides iustificat.

Quidā βέβηλοι calumniantur hūc
locum, & disputant Paulum abu-
sum esse testimonio Genesis, quia
illo loco nulla fiat Christi mentio.
Sed illi fidem nihil intelligunt esse,
nisi historiae notitiam. Scriptura au-
tem fidem uocat, quæ credit Deum
esse placatum, propiciū, quæ cō-
fidit auxilio Dei, quæ audet expe-
ctare & poscere a Deo auxiliū. Ta-
lis erat Abraham fides. Et semper ista
fides complectitur Christi notitiā,
quod pater nos recipiat in gratiam,

non

IN EPIST. AD ROMANOS.

non propter nostra merita, sed propter Christum.

Et norat Abraham promissum semen esse, in quo Gentes benedicerentur. Itaque quoties hic fidei nomen usurpatur, intelligi debet, non tantum historiae notitia, quod Christus passus sit, sed etiam causae notitia, cur passus sit Christus, nam id etiam ad historiam pertinet. Norunt etiam Dæmones, & impij homines Christum passum esse. Sed non credunt sibi propter Christum placatum esse Deum, se diligere & defendi a Deo.

Tertium argumentum ex Psalmi testimonio sumptum est: Iustificatio est remissio peccatorum. Atqui remittere peccata, non est nostrum opus. Non est igitur iustificatio ex operibus.

DISPOSITIO ORATIONIS

Item iustificatio est, non imputari peccata, non est igitur iustificatio ex operibus. Item, iustificatio est, non imputari peccata, omnia igitur opera nostra sunt eiusmodi quæ imputari pro peccatis possint. Quod cum ita sit, non iustificant opera. Si bona opera iustificarent, non esset illa propria iustificatiōis definitio, quæ dicit iustificationem esse, non imputari peccata. Sed definitio aliter concipienda esset, iustificationē esse, bona opera habere. Nunc etiā si bona opera habeat quispiam, tamen ita iustus erit, si non imputetur peccatum, iuxta Davidis definitionem. Ergo illa ipsa bona opera sunt eiusmodi, quæ pro peccatis imputari possunt. Mira huius argumenti subtilitas est. Et quantā vim habeat, ita

IN EPIST. AD ROMANOS.

at, ita intelligere poterimus, si ad
consolandas conscientias accommo-
dabimus, quæ desperatione uexan-
tur, cum uident se nō habere bona
opera.

Quartum argumentum ex circū-
stantia circumcisionis Abrahæ sum-
ptum est, quia enim in Abraham
forma iustificationis ostensa est, &
ab exemplo illius inchoat confirma-
tionem, & in eo commoratur, ut
uides. Sed quia obiter testimonia
quædam inserta sunt, creuit argu-
mentorum numerus. Nullus enim
locus firmior est in disputatiōibus
ecclesiasticis, quam scripturæ testi-
monia. Sic autem argumētatur hoc
loco. Abrahā iustificatus est prius
quam circumcideretur. Non igitur
iustificat circumcisio. Nō est enim
caussa posterior effectu.

DISPOSITIO ORATIONIS

Quintum argumentū. Promissio facta est sine lege. Nam promissio longe ante Moysen Abrahe facta est, non igitur iustificant opera.

Sextum argumentum, ducitur ex natura relatiuorum.

Omnis promissio fide accipitur. Iustitia est promissa.

Ergo accipitur fide. Non igitur iustificant opera, nam promissioni non posset credi, sed semper ambigeret cōscientia, si necesse esset eam ad opera respicere, & per illa iustificari. Ergo ut sit conscientia certa, necesse est eam intueri promissionem, & per hanc se sustentare, & credere, quod simus in gratiam recepti. Mira etiam in hoc argumento subtilitas est, potestq; ex eo intelligi

ligi

IN EPIST. AD ROMANOS

ligi quæ sit uis promissionum, & quod fidem adpellet, non tantum historiæ notitiam, sed multo magis assentire promissionibus Dei. Augustinus hunc locum foeliciter tractauit, & recte perspexit Apostoli sententiam. Valde proderit habere remeditatum hoc argumentum, & penitus introspectū. Nam & multos scripturæ locos aperit, & pauidas conscientias præclare consolatur.

Septimum argumentum, ex contrarijs effectibus ducitur. Lex iram parit. Non igitur parit gratiam. Antecedens declarari per *σμείνθη* potest, Lex cū uiolatur, accusat & perturbat conscientiam: perturbata conscientia, fugit ac timet iudicium Dei, odit igitur Deum. Hoc uult,

C

DISPOSITIO ORATIONIS

cum inquit, lege iram effici, id est, conscientiae terrores, desperationem & odium Dei. Hinc facile intelligi potest, quod lex non iustificet, si quidem desperationem & odium Dei, non pacem conscientiae, & amorem Dei gignit.

Conclusio confirmationis est. Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio. Hic obiter redigit lectori in memoriam sextum argumentum. Promissionem non futuram firmam, si conscientia debeat ad opera respicere. Semper enim ambiget conscientia, an habeat propitium Deum. Ne habebit firmam consolationem, aduersus desperationem, si non sustentat se nuda promissione Dei.

Post conclusionem, amplificat institutum

IN EPIST. AD ROMANOS.

institutum exemplum, & fidem
Abraham grauiſſimo Encomio or
nat. Et poſtremo exemplum iuxta
artis præcepta ad nos accommo
dat. Noſtra cauſſa hæc ſcripta eſſe
de Abraham, in quo forma iuſtifi
cationis oſtenſa eſt.

EPILOGVS.

IN unaquaq; diſputatione præ
cipua membra ſunt, propoſitio
& cõfirmatio. In quæ lectorẽ oportet
ſemper oculos atq; animum de
figere. Proinde ad reliquas partes
contemplandas, ita properent ocu
li, ut tamen ad illa membra sæpe re
ſpiciant. Eſt autem epilogus mira
factus arte, primum repetitur pro
poſitio, poſtea amplificatur, & illu
ſtratur ab effectibus fidei. Efficit

C ij

DISPOSITIO ORATIONIS

enim fides tranquillitatem cōscien-
tiæ, consolatur & erigit in afflictio-
nibus. Tertio addita est consola-
tio. Propositionis repetitio est, Iu-
stificati ex fide. Effectus fidei, pax
est erga Deū, seu tranquillitas con-
scientiæ. Ideo sequitur: Pacem ha-
bemus apud Deum, per Dominū
nostrū Iesum Christum.

Pergit effectus commemorare.
Hęc fides sustentat & cōsolatur nos
in afflictionibus, & hic facit rheto-
ricam gradationem, seu ut Græci
uocant, κλίμακα.

Tribulatio patientiam, patien-
tia probationem, probatio spem,
id est, Deus ideo adfligi nos sinit,
non ut perdat, sed ut occasionem
habeamus exercendæ fidei, & ut in
his duretur & cōfirmetur fides seu
spes,

IN EPIST. AD ROMANOS.

Spes. Addit causam efficientem fidei, nam Spiritus sanctus effusus in sanctos, efficit fidem. Effunditur autem Spiritus sanctus, quia a Deo diligimur propter Christum. Deinde consolatio sequitur, ab amplificatione amoris Dei erga nos sumpta, & sunt Enthymemata ex maiore ducta, Si recepti sumus in gratiam, cum adhuc peccatores essemus, quanto magis iustificati nunc seruabimur. Id enthymema repetitione illustratum est.

Hæc est dispositio orationis in hac Epistola, usque ad locum, PROPTEREA SICUT PER VNVM HOMINEM. PECCATVM IN HVNC MVNDVM INTRAVIT &c. Nam inde ueluti nouum librum instituit, tametsi profutu-

rum ad ea clarius intelligenda quæ
supra tradidit. Nam hæctenus quæ
stio, utrum fides iustificet, pertra-
ctata est, & contentio, quæ sic uo-
catur, absoluta est. Nunc inchoat
non contentionem, sed comparati-
onem quandam, in qua peccatum,
legem, & gratiam inter se confert
ac describit. Supra disputabat. De-
inde in definiendo uersabitur.

Diligenter igitur separan-
da est superior pars
Epistolæ a se

quen

ti.

T

A O Z.

B

Haganoe, per Iohannem Secerius.

Anno M. D. XXIX.



Handwritten text, likely a title or date, appearing as bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to include the year "1717".



AB: 67 $\frac{10}{c, 14}$

ULB Halle

3


003 932 257



56.

102.






Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



23

